



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-400932-p0001-9

DFG

1768, 23.
No: 2

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
D O N A T I O N E
NASCITVRO FACTA

Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

DIE IV MAII ANNO CICDCCCLXVIII

IN AVDITORIO PETRINO

P V B L I C E D E F E N D E T

C A R O L V S S A M V E L Q V I E R N E R

L O E B A V L V S A T .

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



21 EDITION
CAPITIUS CONTRA ERASMI
DONATIONE
NASCITUR EGOTIA
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS GRATIA
PRAESES
D. CHRISTIANO HENR. BREANNING
DIE 14 MAI 1 ANNO CCCCCLXXVII
IN VADIMORIO PITTINO
PAPALICIS DUCIBVS
CVROLAS SUMMVS GAIERNE
TERRAEG. EASAT.
LIPSIAE
EX OFFICINA LAVAGINENSIA.



DE

DONATIONE NASCITVRO FACTA.

S. I.

II

Iura, cum ad finem coniunctionis ciuilis
obligendum a suis legislatoribus dantur,
sine dubio ita debent esse comparata, ut ci-
vium actiones dirigantur iis scripta sint et obligent, qui,
quod ciues subdituē sunt, se ad parendum obligare pos-

701

A 2

sunt,



sunt, quiae agere valent, ut eorum actiones dirigere
necessè videatur: Non ergo corum causa dantur, qui vel
esse in viuis desierunt, vel nondum existere coeperunt,
vel in eo statu versantur, ut obligati haud possint censer ad
parendum. Haec abstracta quidem ratione vera viden-
tur, at non aequae, si applicatiue hanc sententiam tracta-
mus. Scimus enim, leges interdum et de iis agere debe-
re, qui vel plane in viuis desierunt esse, vel quorum exi-
stentiam adhuc expectamus: non ut eos obligatos habere
velint, sed, ut ob aliorum existentium vel ipsorum extitu-
rorum rationem, quid præcipiant. Ut exemplo rem
conficiamus, prouoco ad *nascituros*, qui non existunt, quo-
rum tamen rationem iura nostra habent. Docet hoc
PAVLVS in L. 231. π. de V. S. *Quod dicimus eum, qui na-*
sci speratur, pro superflite esse: tunc verum est, cum de
ipsius iure quaeritur, alii autem non prodest, nisi natus.
Sequimur inde, leges varia dispositissime in fauorem eorum,
qui nati quidem non sunt, at qui expectantur.

§. II.

Hic ipse fauor, quem nascituri tribuunt iura, ut pro-
nato habeant, nobis dat occasionem querendi: *an na-*
scituro fieri possit donatio. Non hic longi erimus in enar-
randis diuersis donationum iuribus, maxime donationis in-
ter



ter viuos; satis enim cognitum est ex lege Cineia, donatio-
nem mancipazione interueniente fieri debuisse, siue suisse
modum transferendi dominii. Post confusam esse pro-
missionem de donando cum ipsa donatione, eamque sti-
pulatione interueniente ciuilem factam obligationem, do-
nec simplici pacto haec promissio de donando iam ipsa
donatio perfici poterat, a quo tempore coepit esse titulus
transferendi dominii iustus. Qui si itaque notiones *do-*
nationis et nascituri inter se comparamus, facile decidi
poterit quaestio proposita *Vln Valeat nascituro facta do-*
natio. Hoc ynicum monendum, plane de ea liberalitate,
quae a testatore aliquo sit, siue solenni ultima voluntate,
siue minus solenni, nos non agere, cum bene sciamus,
licere utique posthumo alieno valide legare.

Evidem non nego, si primo obtuitu propositam
tractamus quaestionem, videri posse, donationem nasci-
turo factam utique validam esse. Regula enim, quam
supra excitauiimus, pro natis haberi nascituros, quoties
de eorum commodo agitur, valde probabilem reddit ad-
firmatiuam. Quis enim dubitat, utilem atque proficiuam
semper esse donationem, ut adeo valida sit pupillo facta
donatio, tutoris licet autoritate non interueniente. Quod

A 3

si ita-



si itaque verum est, utilem proficiamque etiam nascituro fore donationem, nasciturum vero quo ad ea, quae ipsi proficia pro nato haberi, argumentari forsan liceret, pollicitationem hanc utique validam esse debere, argumento ex illa regula ducta. Sed ex argumentis, quae postea dabimus facile apparebit, inutilem hanc nascituro factam donationem fore. Paulo distinctius rem tractabimus.

Monuimus supra, donationem factam ex lege Cincia per mancipationem ad effectum dominii transferendi. Quo ergo modo is, qui nondum natus sit, et si adeo in utero existat, celebret cum donatore ceremoniam illam mancipationis? Hoc prorsus impossibile. Cum vero veteri iure donatio non valeret, nisi interueniente mancipatione, per se patet, plane inutilem esse hanc quaestionem. Sed quid de nouo iure dicamus, ex quo donatio patet tantum siebat iuste? Neque hoc iure recte affirmabitur, donationem nondum nato factam valere. Patet enim requirit pacientium consensum. Iam quo modo is, qui nondum natus est, paciscatur? Cum nondum ex-



7

tat, nec consensum declarare potest, ergo nec per pactum acquirere. Sed quid? si alius quis nascituri nomine pascatur; an aeque nullum sit illud pactum donationis vindendum. Arbitror, hanc quoque objectionem frustraneam esse. Nam constat satis duobus inter se stipulantibus, tertio non stipulanti ius acquiri non posse. Fac ergo, me stipulatum fuisse cum Caio, ut Sempronii filio nascituro donet trecenta, Caiumque promisisse huic nascituro donaturum; nemo dubitat, inutili hanc fore prmissionem ob autoritatem VLPIANI in L. 38, §. 17. π. de donar. Patet ergo, neutrō iure nascituro donari posse, quod et peruidit Franc. HOTMANNYS. Obseruat L. IV. cap. 28.

§. VI.

Provoquant tamen dissentientes ad Constitutionem ZENONIS in L. 5. C. de naturalibus liber. Verba, quae in hac Constitutione notabilia, sunt: Pactis, quae nuptiorum tempore super dotibus vel ante nuptias donationis rebus subsecutis fuerint, etiam ad ipsorum personas pertinentibus: ut una cum fratribus suis postea ex eisdem parentibus forte progenitus, aut soli, si nullus alius sit procreatus, dotis et ante nuptias donationis pro tenore legum, nec minus factorum emolumenta percipient. Concludunt,

quia

quia



quia et si qui post pacta dotalia nati percipere dicuntur emolumenta pactorum, ergo validam quoque esse posse donationem inter duos initam in favorem nascituri. Sed haec nunquam probat lex, quae non de directa aliqua donatione loquitur in nasciturum facta, quam nos tractamus, sed de iis quae parentes in eundem pactis inter se directo, ex quibus emolumenta postea liberi percipiunt. Hinc facile patet, plane a nostra quaestione alienam tractari speciem in alleg. leg nostramque adhuc saluam stare sententiam. Eodem modo comparatum est argumentum, quod ex FLORENTINO in L. 24. π. de pactis dotalib. dicunt, quippe nec in hoc capite adest directa nascituro facta donatio.

§. V II.

Multo minus exemplum, quod apud PAPINIANVM in L. 42. π. de mort. caus. donat. legimus, nostram reprobant sententiam. Scribit lCtus: Seia cum bonis suis, traditionibus factis, Titio cognato donationis causa cessisset; vsum fructum sibi recepit et conuenit: ut si Titius ante ipsam vitam deceisset, proprietas ad eam rediret: si postea superstitibus liberis Titii mortua fuisset, tunc ad eos bona pertinerent. Conuerterant ergo Seia atque Titius de bonis peruenturis ad liberos tum, cum paciscerentur,



rentur, nondum existentibus, neque alia illius pacti cau-
fa erat, quam sola paciscentium liberalitas. Sed nec hoc
exemplo continetur directa aliqua donatio, potius obli-
gatio inter Seiam et Titium contrahebatur, ut liberis ali-
quando nascituri tradicerent bona. Sic nec haec species
nostram stringit causam.

§. VIII.

Sed dubiam continet causam haec species. Seia vi-
dua facta grauida deprehenditur, Titius ventri, seu in-
fanti, qui in vtero est trecenta se donaturum promissurus.
Mater ventri petit tutorem, seu magistratus partui, qui
adhuc in vtero est, dat tutorem. Iam pactum de donan-
do celebrat Titius cum Caio furore ventri dato, qui et
donationem ipsam ventris nomine acceptat. Oritur
omnino quaestio: an et haec inutilis nascituro facta sit
donatio. Verum quidem est, embryones antiquo iure
visceribus matris adnumeratos fuisse, sed hoc postea im-
mutatum est, maxime cum nascituro curam habe-
rent leges. Quapropter ego putauerim, hanc nascituro
factam donationem a curatore ventris acceptam, vali-
dam esse. Neque enim id, quod supra excitauius ar-
gumentum quidquam efficiet, videlicet, quo tertio stipu-
lando

B

lando



lando nemo acquirat, quippe ille ventris curator atque
 embryo, qui in utero est, viam quasi in hoc constituant
 personam, neque ergo tertio fit stipulatio. Dein mouet
 me autoritas **VLPIANI** in *L. I. §. 22. π. de Ventre in
 posseſſ. mitt. et curat. eius.* Sribit enim: *Ita igitur cu-
 ram hoc quoque officio administrabit, quo ſolent curato-
 res atque tutores pupillorum.* Comparat itaque **ICtus**
 officium curatoris ventris cum officio tutoris pupillo-
 rum. Concludo: nemo negabit, donationem pupillo fa-
 ctam recte acceptari a tutore eius posse, ergo nullum
 est dubium ventris curatorēm recte acceptaturum dona-
 tionem embryoni factam seu nascituro. Valebit ergo
 hoc modo donatio nascituro facta.
 Aliam adhuc mouebimus causam. Promittit **Ti-**
tius Caio; fe Sempronii communis vtriusque amici filio
 aliquando nascituro trecenta donaturum. Caius, qui
 quo firmorem hanc reddat donationem accedit cum Ti-
 tio ad magistratum; ut hanc donationem, aetis publicis
 non tantum inscribat, verum eandem confirmet. Ipse
 magistratus haud curiosus fatis confirmat donationem
 eandem, aetisque publicis inscribi curat. Quaerimus an
 obnisi
 valeat



II

valeat haec donatio nascituro facta, si postea natus sit,
cum et ex publicis actis statim probari possit, et a magistratu
confirmata sit. Sed si de iure dicendum, arbitror, nun-
quam hanc ita valitaram donationem. Actus enim a
magistratu confirmandi ita saltem debent esse comparati,
ne quid in substantia deficiat. Iam haec ipsa de donando
facta promissio, quam confirmauerat magistratus, in se
nulla erat, vel quod tertio non consentienti non acquiri-
tur, vel quod ipsa acceptatio, sine qua nunquam existe-
re potest donatio, quidquid in contrarium scribat Petr.
de LUDWIG. in diss. de donatione eiusque barbaro an-
nexu acceptance. a parte nondum nati illius deficiat. Cum
vero actus nullos non possit per se efficere validos ma-
gistratus, nisi eam lex eidem tribuat autoritatem, in hac
vero causa lex deficiat, acta vero publica per se non ob-
ligent, sed actum obligatorium gestum esse probent, qui
tamen hic deficiat; verius esse puto, talem donationem
non magis valere ac reliquas, quae nascituro factae sunt,
ut supra monstrauimus.

T A N T V M.



МУТИАТ

ULB Halle
005 880 491

3



ND18





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-400932-p0016-3

DFG

1768, 23.

No. 7

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

S P E C I M E N
C O N T I N E N S
C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M
D E
D O N A T I O N E
N A S C I T V R O F A C T A
Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. I V R. N A T. E T G E N T. P V B L I C. O R D I N.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.
S O C I O
D I E I V M A I I A N N O C I D I O C C L X V I I I
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
P V B L I C E D E F E N D E T
C A R O L V S S A M V E L Q V I E R N E R
L O E B A V L V S A T.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.

